



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Vniuersa Theologia Scholastica, Speculatiua, Practica**

Ad methodum S. Thomæ, quatuor Tomis comprehensa

**Tanner, Adam**

**Ingolstadii, 1626**

Avthor Ad Benevolvm Lectorem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72856](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72856)



# AVTHOR AD BENEVOLVM LECTOREM.



*Ntequam ad huius operis quadripartiti lectionem accedas, amice Lector, opere pretium existimaui, pauca quaedam, tum de scopo eiusdem operis, tum de metodo, ac vniuersa scribendi ratione admonere. Et quod ad primum attingit, scopus est institutum eius operis fuit, totam Theologiam Scholasticam, tam practicam, quam speculatiuam, prout à S. Thoma Aquinate, Theologorum Principe, in Summa eiusdem Theologica, itidem quadripartita, est ab iis, qui eum postea secuti sunt, Scholae Theologiae pertractari solet, quatuor tomis, totidem partibus Summae eiusdem S. Thomae respondentibus, ita explicatam tradere; ut neque prolixitas est magnitudo operis, vel in legendo laborem, vel in comparando sumptum, intolerabilem eius facultatis studiosis redderet; neque etiam nimis concisa breuitas rem non satis explicatam relinqueret: quem quidem tractandae Theologiae modum, et si posset tot, est tam varias, easque eruditissimas diuersorum Autorum elucidrationes, à multis non sine ratione desiderari, dudum animaduerti.*

*Etenim post S. Thomam, et Veteres illos, in Scholastica Theologia Antecessores, viros ex omni gente, et natione doctissimos; in quibus speciatim è Germanis etiam maiore nominis gloria celebrantur, Hugo Victorinus Albertus Magnus, Henricus Gandauensis, Thomas de Argentina, Dionysius Carthusianus, Gabriel Biel, Copradus Koellin, Ioannes Eckius, et c. tres quasi classes scriptorum in Theologiam Scholasticam hodie est reperire. Primam eorum, qui ex aetate quidem, sed pro usu studioforum, prolixius rem hanc pertractarunt; uti praeter Molinam, sunt imprimis Suarez, et Vasquez, Societatis nostrae magistri Theologi, et hoc tempore, quidam quasi Theologorum Coryphaei, et Antesignani; qui in singulas partes S. Thomae plures, ac bene magnos Commentariorum tomos ita scripsere, ut tamen in plerisque Scholasticis controversiis, non absque singulari, ut existimo, Diuinae providentiae nutu, veritatis magis illustranda causa, inter se perpetuo dissentirent; nec tamen vniuersam Theologiam absoluteuissent.*

*Secunda classis est eorum, qui breuiore scribendi ratione usi, non tam commentarios in Theologiam, quam breuia quaedam eius compendia, ac veluti Epitomas euulgarunt; viles quidem in suo genere; sed pro rei magnitudine et obscuritate, ad plenam eruditionem comparandam, uti plures sentiunt, non admodum sufficientes.*

*Tertius ordo est illorum, qui inter vtrumque extremum mediocritatem consecrati, utilissimam Theologiae studiosis operam praestiterunt; in quibus laudem eximia meritis est, meus olim, sub ipsius Theologici studii ingressum, in Collegio Ingolstadtensi Praeceptor, Gregorius de Valentia; qui quatuor commentariorum tomis totidem S. Thomae partes illustrauit. Ex quibus sane fatendum est, id ipsum moderatum scribendi genus, ad quotidianum usum est commoditatem studioforum Theologiae, accommodatissimum esse; ut quibus nec concisa admodum breuitas ad excellentem profectum satis esse potest; nec prolixa illa commentariorum vastitas, siue ad coemendum, siue ad comprehendendum facilis est.*

*Quod si post editos, à Gregorio de Valentia commentarios, nihil magnopere in Scholastica Theologia in nouatum fuisset, superuacaneum fortasse videri posset, ad eum, quem diximus, usum, nouum Theologiae Scholasticae opus procudere. Sed quoniam liquido constat, post eius ipsius Autoris utilissimas elucidrationes, nouas, eademque complures et grauissimas inter Scholasticos Doctores, de variis rebus, controversias ac disceptationes, non sine quadam sententiarum nouitate, exortas fuisse; ita ut vere dici possit, intra triginta hos proximos annos, quo ad ea, quae salua fide inter Scholasticos Doctores disputari solent, magna ex parte, nouam quodammodo Theologiam esse prognatam: mirum nemini videri debet, cur à pluribus iam annis, Theologiae Studiosi vnum aliquem Scriptorem, moderate eodem scribendi genere usum, requirerent; cuius Lectionem S. Thomae scriptis, et commentariis, quae in schola singuli excipiunt, coniungentes, ad absolutam eruditionem in Scholastica Theologia aspirare possent.*

*Hanc ergo Theologiae studiosis et amatoribus operam, ac gratificandi studium praestare et exhibere in hoc opere conatus sum: in quo etsi velut scholae Theologus, praecipue scholasticas controversias persequor; non praetermitto tamen ea, quae vel ad controversias fidei, aduersus huius temporis Nouatores explicandas, vel ad casus conscientiae expediendos pertinent: ita tamen, ut quoniam vniuersam*



Theologiam Scholasticam quatuor omnino tomis complecti destinaueram, ut dictum; nec tamen iis omnia equali accuratone persequi licebat; hæc breuius & prescius, sine ulla subinde disputatione: illa uero tanquam huius loci propria, fusius & maiori apparatu pertractem; non tantum scilicet ueritatem sententiam affirmando, sed etiam varias sententias, simul cum suis autoribus & argumentis, diligenter referendo.

Ad methodum uero quod spectat, id equidem uniuersim mihi propositum fuit, ut certam quandam, stabilem, ac uniformem, ipsisque rebus, quantum fieri posset, breuiter ac perspicue explicandis, meliusque percipiendis ac retinendis accommodatam; nec tamen ab usu scholæ nimis abhorrentem adhiberem. Eâ de causa, in ipsis quidem principalibus partibus operis, ac generalium materiarum dispositione, S. Thomæ distributionem ac methodum secutus fui; ut quem admodum ipse suam Theologiam summam in quatuor partes diuisit; in quarum prima agit de Deo secundum se, & ut Creatore; in secunda De Deo uelut ultimo fine, mediisque ac principiis eodem conducentibus, oppositisque uitiis, in genere: in tertia, siue uti uocari solet, in secunda secundæ, de mediis ac principiis ad eundem finem conducentibus, & oppositis uitiis in specie: in quarta, que uocari solet tertia, de Christo Saluatore, & Sacramentis, ueluti specialibus mediis salutis, ab eodem Christo institutis: ita singulis quatuor iisdem partibus, totidem huius operis tomis responderent.

Sed & in singulis tomis eandem fere, quam in suis partibus S. Thomæ obseruauit materiarum principalium dispositionem obseruauit; nisi ubi particularis ratio suaderet, res à S. Thomæ quidem tractatione seiunctas, sed reuera inter se connexas & affines coniungere. Itaque tractationem de Extremo Iudicio, mortuorumque resurrectione, adeoque de quatuor nouissimis, de quibus apud S. Thomæ in tertie partis supplemento agitur, materiis eiusdem rationis diuersis locis adiunxi: ita ut de extremo Iudicio, ac resurrectione mortuorum agerem suo loco tom. 4. disp. 2. ubi de uita Christi, Christoque Iudice tractatur: de calis, ac beatorum statu, partim tom. 1. disp. 6. ubi de creatione mundi corporei, ac celorum agitur; partim tom. 2. disp. 1. ubi de ultimo fine, ac superna beatitudine hominis sermo est; eodem enim reuera spectat tractatio de dotibus & aureolis Beatorum: de Inferno autem eodem tom. 2. disp. 4. ubi de peccatorum effectibus ac pœnis agitur. Quæ ratione etiam factum, ut tomus quartus, adeoque uniuersum hoc opus concluderetur tractatione de Sacramentis.

Ceterum quod ad quæstiones & articulos S. Thomæ attinet, non tam aliquo nouitate studio, quam necessariis rationibus inductus fui, ut eorum ordine ac dispositione prætermittam, nouam methodum cõfectorer. I. Quia palam est, eam quæstionum & articulorum S. Thomæ distributionem, ut cunquæ seculis antiquioribus idoneam, his tamen temporibus, quibus ad sacram Theologiam, recentiorum Autorum ingenio ac studio, complura accesserunt, parum accommodatam esse; quando sæpe plures, non solum articuli, sed etiam quæstiones, utpote omnis difficultatis expertes, breui aliqua notatione expediri facillime possunt: contra uero nonnunquam unus aliquis articulus, uel quæstio, puta de Theologia scientia, de prædestinatione, de gratiæ auxiliis, & efficacia, de necessitate Incarnationis, &c. integram & bene longam disputationem deposcit; uti passim apud ipsiusmet S. Thomæ commentatores uidere est.

II. Per eam quæstionum & articulorum singulorum S. Thomæ explanationem, si uti par est, res ipsa interim in sua disceptatione discutiatur, scriptio ipsa multo efficitur prolixior; si uero soli explanationi S. Thomæ in hæcatur, tractatio nimis ieiuna est, & concisa.

III. Multa sæpe in ea tractandi ratione, repetere est necesse; dum quæ circa explanationem S. Thomæ dicta sunt, in ipsius rei discussione de nouo resumuntur: nec etiam bene commentarius S. Thomæ, sine textu eiusdem, lectori proponitur.

IV. Methodus item non satis uniformis & æquabilis redditur: dum præter quæstiones & articulos S. Thomæ, quibusdam locis, nouas disputationes, aut quæstiones instituere necesse est; quales in plerisque locis uelut superuacane æ merito prætermittuntur.

V. Constat, à S. Thomæ, tum sparsim diuersis locis, tum præcipue in prima parte, ubi de anima rationalis, aliarumque rerum naturalium conditione & naturis agitur, complures quæstiones mere philosophicas instituit; quæ communi omnium Scholasticorum usu, in tractatione scholastica ubiq; prætermittuntur, & ad philosophiam uelut proprium locum remittuntur.

VI. Numerosa illa nimis, & ad inuicem usque deducta, quæstionum & articulorum multiplicatio, confundit memoriam; nec sinit uno quasi intuitu totius rei compositionem & structuram animo complecti.

Denique ut cunquæ in aliis partibus & locis, S. Thomæ methodus ob scriptoris auctoritatem, cordi & esse debere quibusdam uideatur: uix tamen ullus est, etiam ex ipsis S. Thomæ affectis & commentatoribus, qui in supplemento tertie partis, utpote peregrino, aut certe non absoluto eiusdem partu,



non propriam sibi methodum componat. Quidni ergo, ut methodus ubique sit æquabilis, id etiam in reliqua tractatione iure fiat; præsertim si quis non interpretem S. Thomæ, sed rerum ipsarum tractatorem profiteatur, & agat.

Quæ causa fuerunt, cur etiam ante me nonnulli ex Scholasticis Doctoribus vniuersim, quo ad questiones, & articulos S. Thomæ, nouam methodum secuti fuerint; uti in Gregorio de Valentia, Albertino, & aliis videre est: alii vero, licet initio eam questionum & articulorum distributionem in suis Commentariis consecrati sint; tandem tamen ab ea desisterunt, uti in Molina, Suarez, Vasquez, & similibus cernitur.

Quare prætermissa illa questionum & articulorum S. Thomæ distributione, equidem hanc methodum inueni; ut primò quidem vnumquemque, totum, pro diuersitate principalium materiarum, in certas disputationes: has in plures, paucioresue questiones; denique singulas questiones in suas dubitationes ita diuiderem, ut simul tamen etiam in singulis dubitationibus, præsertim maioris momenti, mentem & sententiam S. Thomæ diligenter ac fideliter exponerem: adiuncto etiam ad vnumquemque totum speciali indice questionum, & articulorum S. Thomæ, quo demonstraretur, quo loco operis vnaquælibet S. Thomæ questio, questionisque articuli tractarentur.

Porro ad hoc opus perficiendum (ne quis id heri primum, aut sane paucis his annis, quibus à publico docendi munere releuatus, in eam scripturam incumbere, quasi subitariâ quædam opera, à me effusum potius, quam elaboratum existimet); præter opem Diuinam, subsidio fuit diuturnum & continuum studium, in legendis optimis quibusque scriptoribus Theologis, tam qui prædicam, & cum Nouatoribus controuersam, quam qui speculatiuam & Scholasticam Theologiam tractant; tum antiquioribus, tum recentioribus, annis compluribus non omissantur impensum; quando toto hoc tempore annorum triginta sex, quibus per Dei gratiam in Societate deo, duobus solum annis Nouitiatus, & postremo philosophici studii, exceptis perpetuo Theologia; aut discendo, aut docendo, aut scribendo tractaui. Inter Scholasticos autem vnus inter omnes, mihi potissimum adiumento fuit S. Thomas; quem ad ceteros collatum, si fontem omnis sacre eruditionis, dixero, nemini iniuriam fecerim.

Deinde ad hanc rem non parum mihi contulerunt prælectiones publicæ; quas & inpositiua Theologia, tum fidei controuersis, tum casibus explicandis, per sex fere annos Monachii; postea vero docendâ Scholasticâ Theologia, in Academia Ingolstadtensi, per quindecim annos continuas, auditoribus meis dictaui. Qui proinde etiam ex ipsa huius operis lectione deprehendent, eandem doctrinam (vix ulla sententia mutata) quam dudum in Scholis dictaueram, nunc aut isdem fere verbis, aut fusius diductam & explicatam, ac subinde etiam materiam, aut horum seu consensu, seu dissensu illustratam, in hoc opere comprehendit: additis tamen simul etiam materis, que in Schola doceri non solent; quandoquidem propositum fuit, nihil prætermittere ex his, que in Summa S. Thomæ, ad Theologicam alioqui tractationem pertinentia, traduntur.

Ad prælectiones vero publicas accesserunt insuper variæ & frequentes, tum priuatarum, tum publicarum disputationum exercitationes; quarum documentum existat in peculiari volumine, Anno M. DC. XVIII. Ingolstadt edito.

Denique in hoc opere perficiendo, subsidio quandoque fuerunt, præsertim ubi controuersie fidei aduersus Scismaticos pertractantur, edita à me iisdem de rebus varia opuscula, ex quibus cum aliquid non nunquam, plenioris doctrine causa, in hos tomos transfero, de meo accipio, non de alieno. Quod si quis breuitatis amans, insuper etiam breuius aliquod totius operis compendium expectet, habet is bipartitum illud, de quo superius dixi, disputationum mearum volumine typis editum; quo summam ac breuiter omnes pene materias, ad certas theses redactæ, velut ob oculos ponuntur.

In citandis vero Autoribus, tria hæc obseruare studeo. I. Ut nullum fere citarem, quem non prius legerim ipse. II. Ut in rebus maioris momenti, mentem eorum propriis ipsorum verbis referrem; quod quidem in S. Thomæ doctrina proponenda, maiori cura fuit. III. Ut in rebus etiam minutoribus, & quasi parergis principalium assertionum, que ab autoribus alioqui communiter non traduntur, sed vnus quasi propria sunt effata, non facile quidquam sine autore dicere. In qua re adeo nulli suam laudem inuidi, ut si forte non nemini idcirco nimium exilis, & quasi superstitiose religiosus videbor, eam tamen diligentiam sinceritatemque nemo iure possit reprehendere. Quia tamen diuersæ autorum editiones exstant, & nunc etiam quotidie nouæ editiones, mutatis prioribus distinctionibus, reciduntur, sciat Lector, me plerumque antiquioribus, at nonnunquam tamen diuersis editionibus, pro ut ad manus erant, vsursum fuisse: omnes enim editiones nec habui ipse, nec si haberem, otium erat consulere.

Postremo circa delectum opinionum, id mihi semper cura fuit, ut nulli nec Scete, nec Autori me

mancipa-



manciparem; sed libere in veritate inuestiganda, ac tuenda studium incumberem; firmiora solidioraque deligendo: qualia quidem ut plurimum sunt illa, quae à S. Thoma docentur; quem etiam velut peculiarem Doctorem sequi in Constitutionibus nostris iubemur; non ita tamen, quin aliquando ab ipso recedere liceat, si veritas alibi potius inueniatur. Interim diuersa à me sentientes, ea modestia refero & refello, ut nec personis ipsis, nec earum opinionibus, quantum res patitur, auctoritatis quidquam adimam. Quare, uti neminem existimo iure offendi posse; ita equidem ipse etiam egre laturus non sum (quod alibi quoque sum testatus) si quis sum iudicium secutus, diuersam à me sententiam voluerit amplecti. Vigeat modo charitas, & vincat veritas; de caetero lector quisquis es, tuo arbitratu libere statue; Deumque pro me precatus, bene vale.

## SYNOPSIS TOTIVS OPERIS.

**V**T vero Lector praeculis habeat totius operis structuram: ecce Synopsis.

*In primo tomo continentur Disputationes sex.*

I. De ipsa sacrae Theologiae scientia, II. De Deo, & Attributis diuinis, III. De Providentia, ac Praedestinatione diuina, IV. De Sanctissima Trinitate diuinarum personarum, V. De Angelis, VI. De creatione mundi corporei, tam caelestis, quam sublunaris; adeoque de opificio sex dierum.

*In secundo tomo continentur Disputationes sex.*

I. De ultimo fine ac beatitudine hominis, II. De Actibus humanis in genere, III. De Habitibus & virtutibus in genere, IV. De Vitiis & peccatis in genere, V. De Legibus, VI. De Diuina gratia.

*In tertio tomo continentur Disputationes sex.*

I. De Fide, II. De Spe, & Charitate, III. De Prudentia, Fortitudine, Temperantia, ac Virtutibus annexis, IV. De Iustitia & Iure, V. De Partibus potentialibus Iustitiae in genere; ac speciatim de Virtute Religionis, eiusque actibus, & oppositis vitiis, VI. De caeteris Virtutibus Iustitiae annexis, & oppositis vitiis; deque variis hominum statibus.

*In quarto tomo continentur Disputationes octo.*

I. De Incarnatione Verbi, II. De Oeconomia Verbi, seu praecipuis mysteriis, vitae, passionis, mortis, & glorificationis Christi; deque eius aduentu ad Iudicium; ac statum mundi, & animarum post iudicium, III. De Sacramentis in genere, IV. De Sacramento Baptismi & Confirmationis, V. De Sacramento Eucharistiae, & Sacrificio Missae, VI. De Sacramento Poenitentiae, Indulgentiis, & Censuris, VII. De Sacramento Extremae Vnctionis, & Ordinis, VIII. De Sacramento Matrimonii,